

II.

Novae Plantarum Species

descriptae ab

Alberto Guilielmo Roth,

M. D.

TRICHOON.

CALYX bivalvis, nudus. COROLLA bivalvis, nuda. GERMEN cinctum lana corollae longitudine.

Observ. I. Nomen genericum derivatum est a verbis *ἄριζ*, *villus*, et *ὄον*, *ovum*, quia germen et semen villis cincta sunt.

Observ. II. Arundinis character essentialis consistit in lana corollam basi cingente eiusdem fere longitudinis, uti Saccharum requirit lanam calycem cingentem. Numerus flosculorum calycis minoris momenti est in hisce generibus, monente Ill. Praef. de Schreber, adeoque genus *Calamagrostis* in Flora Germanica constructum atque Philosophiae botanicae legibus minus respondens delendum et enumeratae ibidem Species ad Arundinem iterum reducendae erunt. *Arundo* autem *Karka* Celeber. Retzii ob lanam germen intra corollam cingentem et corollam extus nudam ab Arundine removeatur novumque genus constituat necesse est.

TRICHOON KARKA.

Arundo Karka calycibus unifloris nudis flore subulato intus lanato multo brevioribus, panicula secunda nutante. Retz *Observ. Bot. Fasc. IV. pag. 21. n. 61.* unde descriptio hujus graminis petenda erit.

Observ. Caveas, ne ob errorem a Leerfio commissum, *Arundinem Phragmitem* etiam ad hoc novum genus referri et ab Arundine removeri debeve iudices. Leerfius scilicet in Flora Herborn. n. 94. de Arundine Phragmite dicit: *Semen villis longitudine corollae cinctum* et in Tab. VII. fig. I. † lanuginem intra corollam germen cingentem semenque seorsim absque corolla in lanugine sessile

fessile delineavit, quod tamen structurae huius graminis plane contradicit. Corolla quidem extus nuda est et angustissima, at receptaculum stiloculorum intra calycem elongatum, flexuosum et geniculatum villis ad basin corollarum copiosioribus, earum longitudine obsessum est ita, ut corollae basi hac lanugine cinctae observentur semineque maturo cum receptaculi parte lanuginosa ad genicula disrupta aufugiant. Intra corollam neque ad germen, neque ad fermen lanuginis vestigium adest ullum. De hoc gramine idem jam adnotavit Schenckzerus in *Agrostographia*, pag. 162. inquit: „glumae folliculorum, si attentius considerentur, glabrae sunt, aut pappus ille filamentosus, folliculis quasi aequae longus, originem ducit a scapo tenuissimo Locustarum, quibus folliculi alterno situ insistant.“ Leersius itaque vel aliam et a nostra Phragmite plane alienam plantam prae oculis habuit, vel potius corollam ob angustiam suam et lanuginis densitatem, in qua residet, praetervidit.

IPOMAEA TRIDENTATA.

I. Foliis oblongis tricuspidatis basi dilatato-dentatis, pedunculis unifloris superne incrassatis tetragonis.

Evolvulus tridentatus foliis lineari-cuneiformibus tricuspidatis basi dilatata dentatis, pedunculis unifloris. Linn. Syst. Veget. p. 299. Syst. Plant. Tom. I. p. 751.

COTYLEDONES duae purpurascens, bipartitae: laciniis linearibus integerrimis, divergentibus, illis *Ipomaeae Quamoclit* similibus.

RADIX annua fibrosa.

CAULIS filiformis; angulosus, volubilis, glaber, ramosus. *Rami* remoti, alterni.

FOLIA alterna, approximata, brevissime petiolata, laete viridia, costata, nervosa, glabra, unciam, sesquiunciam ad duas uncias, fere longa, basi retusa, dilatato-dentata, duas lineas circiter lata, caeterum integerrima, supra basin angustata, versus medium iterum latiora; oblonga: *inferiora* apice obrusa, tridentata, dente intermedio productiore: *superiora* in apicem lanceolatum, mucronatum decrescunt.

PEDUNCULI in axi foliorum solitarii, uniflori, folio duplo longiores, decurvi, filiformes, tenues, glabri, supra medium genu exiguo praediti et *Bracteis* duabus oppositis concavis, mucronatis fuscis, tunc incrassati, exacte tetragoni et laete virides.

CALYX pentaphyllus, glaber, ante et post florescentiam connivens, ovalis, acuminatus, subangulosus, fructu maturo patentissimus: *foliolis* ovalibus, concavis, mucronatis, margine undulatis submembranaceis, inaequalibus: *duobus exterioribus* paulo brevioribus et latioribus tribus interioribus.

COROLLA infundibuliformis, ochroleuca, fauce atropurpurea: *tubo* longitudine calycis; *limbo* plicato, patente, quatuor lineas ad semiunciam fere in diametro habente; obsolete quinquelobo; *lobis* rotundatis, submarginatis.

STAMI.

STAMINA quinque. *Filamenta* tubo corollae paullo longiora, stricta, candida. *Antherae* flavescens, dorso affixae, exiguae.

GERMEN ovatum, exiguum, flavescens. *Stylus* capillaris, candidus, longitudine filamentorum, persistens. *Stigmata* duo, capitato-globosa, albida, pubescentia, cum corolla et staminibus decidua.

CAPSULA obsolete tetragona, depressa, fusca, subpubescens, bilocularis, tetrasperma, *dissepimento* subrotundo, membranaceo, pellucido, margine cartilagineo circumscripto; *valvulis* basi dehiscentibus, concavis.

SEMINA nigra, glabra, semilunaria, dorso costa elevata notata.

Observ. I. Stylus in spontaneis plantis a Celeber. Koenig in *Tranquebar* lectis et a fautore dilectissimo Ill. Praef. de Schreber communicatis aequae ac in cultis constanter unicus observatur, in capsula matura adhuc conspicuus, stigmata autem duo capitato-globosa nunc distincta, nunc cohaerentia occurrunt.

Observ. II. In culta planta unum vel alterum plerumque folium ex inferiorum ordine apice obtusum subtridentatum observatur, dentibus lateralibus vix observabilibus, intermedio paullo productiore et reliqua folia omnia in lanceolatum mucronem attenuantur. In spontanea vero planta folia pleraque apice sunt tridentata.

NARCISSUS GOUANI.

N. scapo ancipiti unifloro, nectario campanulato, sexfido, crenulato, plicato, petalis duplo brevioribus, foliis planis.

N. *odoris* scapo ancipiti unifloro exstriato, nectario petalis duplo brevioribus erecto sexfido crenulato, antheris reflexis. Gouan Illustr. pag. 23. n. 4.

Differt a *Narcisso odoro* Linn. Syst. Veget. p. 317.

1. *Scapo* constanter unifloro, dimidio fere longiore et crassiore, ancipite; angulis oppositis exstantibus argutis: nec saepius bifloro, tereti-subcompressio, angulis destituto.

2. *Foliis* planis, concavis et fere conduplicatis, triplo saltem latioribus, obtusis: nec semicylindricis; canaliculatis, in apicem obtusum attenuatis.

3. *Flore* duplo majore.

4. *Petalis* ex albo flavescens; nec saturate luteis.

5. *Nectario* saturate luteo, sexfido, crenulato, plicato, undulato, ore subcontracto: nec concolore, patulo, laciniis sex integris, rotundatis.

6. *Tubo nectarii* obsolete hexagono, subcylindrico, viridi; nec tereti, infundibuliformi, basi attenuato, concolore cum nectario et petalis.

Observ. Narcissum odorum Gouani l. c. ad suum *N. odorum* retulit Linnaeus Syst. Plant. Tom. II. p. 19. quamvis omnibus in partibus quam maxime inter se differant, hinc jure meritoque distinguendi sunt, quamvis odore convenient.

ALLIUM CERNUUM.

A. scapo nudo tetragono umbellifero, foliis linearibus planiusculis, umbella cernua, staminibus simplicibus, germine sexdentato.

Tertio sationis anno in testa floruerunt plantae e seminibus *Allii alati* a fautore aestu-
matissimo de Schreber acceptis.

Tota planta glabra. *Odor* alliaceus.

BULBI nonnulli, saepius quatuor, basi cohaerentes, oblongi, candidi, sursum attenuati
in cylindrum supra terram elongatum, purpureum, striatum, e foliorum vaginis
tubulosis constatum.

FOLIA laete viridia, erecta, non stricta, sed ob debilitatem supra medium decurva, pal-
maria et fere pedalia, ad duas lineas lata, infra medium canaliculata, supra me-
dium plana, dorso secundum longitudinem linea elevata notata et ita subcarinata,
in obtusum mucronem attenuata, margine integerrima.

SCAPUS unus vel alter e quovis bulbo erectus, rigidus, strictus, glaber, nudus, fere
pedalis, hinc foliis vix longior, crassitie culmi fecalini, apice in hamum curvatus,
tetragonus: *angulis tribus* argutis, ad lucem diaphanis, *quarto* obtuso: *lateribus*
tribus planis, latitudine aequalibus, *quarto* convexiusculo, paulo angustiore,
striato, linea profundiore exarato.

UMBELLA terminalis, cernua, laxa.

SPATHA membranacea, candida, bivalvis, obtusa, persistens.

PEDUNCULI filiformes teretiufculi, glabri, unciales et paullo longiores, versus florem
incrassati et colorati: *floriferi* decurvi et cernui; *fructiferi* assurgentes, demum
erectiufculi, rigidi.

COROLLA hexapetala, rosea: *Petalis* ovalibus, obtusis, concavis, conniventibus; *tribus*
exterioribus saturatoribus, paulo latioribus et brevioribus interioribus tribus.

STAMINA sex, demum corolla duplo longiora. *Filamenta* candida, simplicia, basi in
unum corpus membranaceum basi germen cingens coalita. *Antherae* flavae.

GERMEN subrotundum, viride, sexfidum, dentibus sex lanceolatis, compressis, diver-
gentibus vix ultra semilineam longis coronatum, e centro depresso producens
Stylum candidum, sursum attenuatum, persistentem, longitudine fere corollae.
Stigma simplex, acutum.

CAPSULA subrotundo-trigona, triloba, *lobis* bifidis, trilocularis, trivalvis: *valvulis*
emarginatis, obcordatis, bidentatis.

SEMINA plerumque tria in quavis capsula, atra, nitida, obovata, subcompressa, basi
retusa.

Observ. I. Ab omnibus congeneribus differt

1. *Scapo* tetragono.

2. *Umbella* cernua.

3. *Pedun-*

3. *Pedunculis floriferis* cernuis, *fructiferis* adscendentibus, demum erectiusculis.

4. *Germinis et capsula* dentibus sex patulis coronatis.

Observ. II. Post florescentiam pedunculus apice in hamum rigidum curvatus et Umbella cernua remanent, pedunculi vero fructiferi adscendunt, erectiusculi et rigidi evadunt.

Observ. III. Fructificatio primo efflorescentiae stadio peragi videtur, ubi scilicet stamina, quantum libera sunt, intra germinis dentes incurva et cum antheris suis stigmati approximata observantur, demum autem eriguntur et corolla longiora strictaque evadunt.

ALLIUM CILIATUM scapo nudo teretiufculo umbellifero, foliis linearibus planis ciliatis, staminibus simplicibus.

Sub nomine *Allii de Barbara* semina accepit amicus dilectiss. Cel. Prof. Mertens a Cel. Thouin mecumque communicavit. Primo sationis anno Novembri mense in fictili floruit. Odor totius plantae alliaceus.

RADICES ex albo flavescentes, fasciculatae, ovatae, solidae, extus membranaceae, graveolentes, pisi vel nucis Juglandis minoris magnitudine, fibras filiformes albas simplices emittentes.

FOLIA semipedalia, pedalia et nonnunquam longiora, flaccida, reflexa, linearia, in acumen longum attenuata, basi vaginantia, supra basin canaliculata, caeterum plana, lineata et non raro fulcata, dorso costa obliterascente praedita, in medio quatuor lineas ad semiunciam fere lata, laete viridia, utrinque glabra, nitida, margine imprimis infra medium retrorsum ciliata et aspera. *Vaginae* pallide virides, tubulosae, glabrae, ad apicem obliquae, margine ciliatae, scapum arcte includentes.

SCAPUS fere pedalis, nudus, basi recurvus, tunc erectus, teretiufculus, glaber, nitidus, saturate viridis, apice iterum paululum curvatus.

UMBELLA erecta, simplex, floribus sedecim ad viginti composita. *Spatha* univalvis, oblonga, latere dehiscens, glabra, membranacea, virescens lineis saturatioribus secundum longitudinem picta, demum exarescens. *Pedunculi* unciales, filiformes, teretes, glabri, nitidi, erecti.

COROLLA hexapetala, patens, nivea, ultra semiunciam in diametro habens: *petalis* ovalibus, obtusis, longitudine aequalibus; *tribus exterioribus* duplo angustioribus.

STAMINA sex, stricta, pistillo paulo longiora. *Filamenta* nivea, distincta, receptaculo inserta, basi paululum latiora subcompressa, caeterum filiformia, simplicia. *Antherae* erectae, ovatae, didymae, croceae, polline protuberante luteae.

GERMEN subrotundum, obsolete trigonum, obtusissimum, glabrum, viride. *Stylus* niveus, filamentis paullo crassior, apice obtuso terminatus.

CAPSULAS maturas nondum protulit.

Observ. Cum *Aliso Chamae-Moly* Linn. Syft. Veget. p. 324. quod nondum vidi, quoad differentiam specificam convenit Foliis planis ciliatis, differt autem ab illo nostra planta 1. *Scapo* fere pedali; nec subnullo. 2. *Capfulis* erectis; nec cernuis.

ORNITHOGALUM HEYNI.

O. foliis filiformibus strictis, scapo subtereti monophyllo, umbella pedunculata subtriflora.

RADIX bulbosa, oblonga.

FOLIA radicalia, duo, filiformia, stricta, scapo longiora.

SCAPUS simplex, nudus, subteres, sursum incrassatus, palmaris.

SPATHA univalvis, lanceolata, acuminata, apice recurvata, hinc convexa, inde plana, a basi usque ad ortum acuminis latere plano dehiscens, persistens.

UMBELLA pedunculata, simplex, subtriflora.

INVOLUCRUM tri-tetra-vel penta-phyllum: *foliis* lanceolatis, concavis, margine subpilosis, inaequalibus.

FLORES *Ornithogali lutei*, sed paulo minores.

STYLUS staminibus longior.

VARIAT 1. *Foliis radicalibus* tribus.

2. *Umbella* triflora: *involucro* pentaphyllo.

3. — — biflora: *involucro* tetraphyllo.

4. *Pedunculo* simplici: *involucro* triphylo.

Observ. I. Cel. Heyne, plantarum scrutator indefessus Hamburgensis, qui prope *Hamburgum* hanc plantam, a congeneribus satis superque distinctam, copiose observavit, descriptionem cum speciminibus sub nomine *Ornithogali spathacei* mecum benignissime communicavit. Etiam in *Ducatu Oldenburgico* copiose hanc plantam invenit dilectissimus Trentepohl.

Observ. II. Differt ab *Ornithogalo luteo* β . foliis filiformibus scapo uni- seu bifloro. Flor. Germ. Tom. II. Pars I. pag. 393. cui habitu proxime accedit

1. *Foliis* strictis, scapo non cohaerentibus.

2. *Scapo* subtereti; nec angulato.

3. *Spatha* constanter univalvi, nuda; nec foliis floralibus duobus margine pilosis.

4. *Umbella* pedunculata.

5. *Stylo* staminibus longiore.

CLITORIA AMOENA.

C. foliis ternatis, pedunculis subquadrifloris, calycibus campanulatis.

E semi-

E feminibus indeterminatis ex America meridionali a Cel. Chirurgo Koch acceptis plantae mihi enatae sunt, quae primo sationis anno floruerunt.

Tota planta pilis adpressis obfessa.

COTYLEDONES duae, cordato oblongae, petiolatae, foliaceae, pallide virides, venis purpurascensibus pictae, pubescentes.

RADIX ramosa, subcarnosa, flavescens, fibrosa, tuberculis adspersa, perennis.

CAULIS filiformis, volubilis, angulosus, purpurascens, ramosus. *Rami* alterni.

FOLIA alterna, remota, petiolata, subpubescentia: *priora* tria seu quatuor junioris plantae simplicia; *religua* ternata. *Petiole* crassitie caulis, canaliculati, teretes, basi nodo bulbofo, nitido, roseo praediti et ad basin *Stipulis* duabus oppositis, lanceolatis, arefcentibus, sesquilineam, ad duas lineas longis, patentibus, striatis suffulti. *Foliola* ovato-lanceolata, venosa, plana, obtusiuscula: *duo inferiora* opposita, brevi, incurvo crassoque petiolo infidentia et *stipula* setacea plerumque foliaria suffulta, extrorsum paulo latiora: *tertium terminale* basi retusum, sed non emarginatum, latitudine aequale, petiolo fere unciali infidens et paulo infra basin *stipulis* duabus oppositis, setaceis suffultum.

PEDUNCULI axillares, ad latus recurvi, plerumque solitarii, teretes, crassitie et longitudine circiter petioli communis, plerumque quadriflori.

PEDICELLI alterni, circiter semiunciales, pedunculo communi duplo crassiores, incurvi, basi *bracteis* duabus cordato-acuminatis, flavescensibus, altera duplo minore suffulti.

FLORES speciosi, magni, incarnato-violacei.

CALYX campanulatus, pubescens, flavo-virescens vel pallide viridis, quinquepartitus, *tubo* brevi, subcompresso, superne ventricoso: *laciniis* inaequalibus, lanceolato-linearibus; *duabus superioribus* aequalibus paulo latioribus et paulo brevioribus reliquis, rectis; *tribus inferioribus* falcatis: *infima* productiore.

BRACTEAE ad basin calycis duae, oppositae, cordato-acuminatae, concavae, flavescens, striatae, calyce duplo saltem breviores, ejusdem tubum occultantes, illi adpressae illumque comprimentes.

COROLLA resupinata.

Vexillum maximum, suborbiculatum, sesquiunciam ad duas uncias fere in diametro habens, planum, venis radiatis concoloribus, dichotomis, extus elevatis, intus depressis ornatum, extus pallidum, subemarginatum et apice exiguo recurvo terminatum, intus infra apicem usque ad basin macula lata, sulphurea, striata pulcherrime pictum.

Alae oblongae, obliquae, obtusae, carinae longitudine, illi apice adpressae, cum illa vexillo concolores, rectae, venosae, subventricosae, apice planae, hiantes.

Carina conduplicata, tota fere clausa, femilunaris, obtusa.

STAMINA diadelphica, quorum *Filamenta* novem in unum corpus hamosum, rigidiusculum, canaliculatum, crassiusculum, candidum, glabrum fere usque ad apicem conatae, *decimum* simplex, filiforme, directione reliquorum. *Antherae* hemisphaericae, dorso plano filamentis affixae, flavae, hinc longiudinaliter dehiscentes.

GERMEN lineare, fere unciarum longitudinis, pallide viride vel flavescens, ad latus utrinque secundum longitudinem linea exaratum, supra medium incurvum et in stylum attenuatum. *Stylus* tenuis, versus stigma dilatatus, subcompressus. *Stigma* membranaceum, stylo duplo latius, canaliculatum, marginibus involutis, apice retusum et annulo ciliato pulcherrime coronatum.

LEGUMEN lineare, rectum, rigidum, nigricans, glabrum, digiti intermedii longitudine, angustum, vix ultra lineam latum, subcompressum, utrinque attenuatum et apice mucrone rigido, dorso carinaque cartilagineis, flavescens, 16 ad 18-spermum.

SEMINA vix ultra lineam longa et femilineam lata, subcylindracea, nitida, glabra, grisea, maculis nigricantibus adspersa, hylo vix depresso et linea nigricante circumscripto.

VARIAT I. *Pedunculis* geminis ex axilla folii, divaricatis.

2. — — — uni-bi-et trifloris in eadem planta.

SENECIO CRUENTUS corollis nudis, foliis sessilibus, ovato-lanceolatis, laciniatodentatis, nudis, subtus cruentis, pedunculis terminalibus alternis unifloris, caule fruticoso.

Sub nomine *Senecionis Pseudo-Chinae* planta mecum communicata est a Cel. Bueck Hamburgi, quae versus autumnum primo mihi floruit.

RADIX crassa, subcarnosa, ramosa.

CAULES nonnulli, erecti, ad radicem incrassati, inferne lignosi, verrucosi, grisei, superne laete virides cum cruore mixti, glabri, nitidi, teretes, subramosi. *Rami* alterni; *juniores* pubescentes.

FOLIA alterna, sessilia, plana, glabra, nervosa, supra viridia, subtus cruenta, nitidissima, costa dorsali purpurascens valida, subpubescente praedita, margine brevissimis pilis ciliata et scabra, acuminata: *caulina* approximata, ovato-lanceolata, palmata et semipedalia, utrinque attenuata, in medio duas ad tres uncias lata, sinuato-laciniata; *laciniis* suboppositis, lanceolatis, dentatis: *floralia* remota, digitalia et breviora, sursum magnitudine decrefcentia, ad dichotomias pedunculi communis solitaria, lanceolata, inciso-dentata: *juniora* pubescentia.

PEDUNCULUS COMMUNIS in caule terminalis, dichotomus, elongatus, pedalis et longior, fastigiatus, subpubescens, scabriusculus, striatus, teres, inferne foliosus, superne nudus.

PEDUNCULI alterni, digiti longitudine et nonnunquam longiores, crassitie culmi secalini, uniflori, *bractea* lineari-lanceolata, purpurascens, adpressa, integerrima, glabra

glabra basi suffulti, *squamis* lineari-fetaceis, remotiusculis, inferne viridibus, superne purpurascensibus sursum imprimis adspersi, subpubescentes.

FIORES terminales, lutei, demum crocei, ultra semiunciam u diametro habentes.

CALYX conicus, atropurpureus, basi viridis, glabriusculus, truncatus, ultra semiunciam longus, *squamis* linearibus, subulatis, parallelis, contiguis, aequalibus compositus, basi calyculatus *squamulis* nonnullis lineari-fetaceis, patentiusculis, ad apicem purpurascensibus.

COROLLULAE numerosae, omnes tubulosae hermaphroditae, ante florescentiam clavatae: *Tubo* longo, tenui, albo: *Fauce* oblonga, inflata, flava: *Limbo* quinquefido, patente.

STAMINA quinque. *Filamenta* tenuissima, membranacea. *Antherae* in cylindrum angustum quinquefidum connatae.

GERMEN oblongum, lineae longitudine, glabrum. *Stylus* filiformis, longitudine filamentorum. *Stigmata* duo, linearia, acuminata, recta, flosculo longiora, pubescentia, crocea.

PAPPUS capillaris, niveus.

RECEPTACULUM nudum.

SEMINA matura nondum protulit.

Observ. I. Differt a *Senecione Pseudo-China* Linn. Syst. Veget. p. 756. quantum ex specimine ab amico veneratissimo Direct. Rühlmann accepto et e differentia specifica Linnei perspicere possum, nostra planta: 1. *Caule* fruticoso, inferne lignoso; nec herbaceo, radice tantum perenni. 2. *Foliis* subtus cruentis, lucidis, nitidissimis, ovato-lanceolatis, acuminatis, inciso-lacinatis, dentatis, sinuatis, crassioribus; nec utrinque viridibus, oblongis, obtusis, runcinato-pinnatifidis, pinnis ad folii costam decurrentibus. 3. *Pedunculo* terminali, elongato, dichotomo, fastigiato, subcorymbofo; nec scapo longissimo. 4. *Calycis* *squamis* paulo angustioribus et duplo longioribus, supra basin purpureis; nec viridibus.

Observ. II. *Seneciones* Tournefortii, ad quarum numerum pertinet etiam haec nostra planta, ob flosculos omnes hermaphroditos et radium femineum deficientem, secundum leges systematis mere artificialis a *Jacobaeis* Tournefortii et ab ordine, Syngenesia Polygam. Superflua, removendae et ad priorem Syst. Linn. ordinem, Syngenesiam Polygamiam Aequalem, referendae essent. Linneus autem genus quasi naturale ob structuram et figuram calycis servare maluit.

CERAMIUM

Roth Catalecta botanica pag. 146.

CERAMIUM LONGISSIMUM.

C. filamentis cartilagineis, dichotomis, filiformibus, longissimis, inaequaliter geniculatis: geniculis oblongis contractis, capsulis lateralibus sessilibus sparsis.

Fucus longissimus. Gmel. Hist. Fuc. p. 134. Tab. 13.

Fucus flagelliformis fronde filiformi tereti ramosa, ramis alternis subdistichis longissimis uniformibus. Oeder Flor. Dan. Tab. 650. Lightfoot Flor. Scot. pag. 928.

Fucus teres rubens, minus ramosus, in longum protensus. Raj. Synopf. pag. 51. n. 53.

FILAMENTA cartilaginea, recta, teretia, filiformia, crassitie fili emporetici, dichotoma, flexilia, juniora plerumque viridula, adultiora rubicunda vel purpurascens, bipedalia et longiora, geniculata.

RAMI alterni, vel saepius etiam secundi, remotiusculi, ad angulum obrufum e trunco egredientes, uniformes, elongati, dichotomi.

GENICULA in trunco et ramis raro observabilia et plerumque oblitterata, in ramulis evidentiora, oblonga, contracta, longitudine inaequalia.

ARTICULI geniculis similes, sed duplo fere crassiores.

CAPSULAE laterales, absque ordine sparsae, minimae, sessiles, subrotundae.

SICCATA ALGA evadit saturate purpurea, flexilitatem et debilitatem retinet, chartae non adhaeret et ramuli ob genicula tunc evidentiora torulosi apparent.

CERAMIUM SCORPIOIDES.

C. filamentis cartilagineis ramosissimis subgeniculatis, ramis divaricatis: ramulis terminalibus approximatis inflexis, capsulis lateralibus subrotundis sessilibus.

Fucus scorpioides. Gmel. Hist. Fuc. pag. 135.

Fucus scorpioides caule tereti ramoso, ramis alternis ramosissimis apice inflexis. Hudf. Angl. pag. 471. n. 23.

Fucoides erectum, fruticuli speciei, summitatibus inflexis. Raj. Synopf. p. 38. Tab. 2. fig. 6. (*bona figura, at ramuli iusto crassiores delineati*.)

RADIX scutata, perexigua.

FILAMENTA cartilaginea, teretia, filiformia, subflexuosa, tenuia, a basi ramosissima, uncialia et biuncialia, e viridi nigrescentia, sub microscopio composito ad lucem lineis pellucidis secundum longitudinem praedita, subgeniculata, crassitie aequalia.

RAMI alterni, ad angulum fere rectum egredientes, divaricati et non raro incurvati, ramosissimi, dichotomi. *Ramuli* tenuissimi, capillares, dichotomi, semilineam ad sesquilineam fere longi: laterales divaricati: versus trunci et ramorum apicem approximati et in fasciculum *Scorpii* caudae in modum inflexum coacervati.

GENICULA tenuissima, linearia, vix observabilia.

CAPSULAE

CAPSULAE exiguae, et non nisi sub microscopio composito rite observandae, ad dichotomias plerumque ramorum solitariae, sessiles, subrotundae, ad lucem subpellucidae.

Siccata Alga nigrescit, et nisi sub aqua chartae vel vitro rite imponatur et comprimatur, corrugit et nigram asperamque lanam refert, chartae vel vitro laxius tantum adhaeret.

Observ. I. Ab omnibus similibus primo intuitu dignoscitur hocce Ceramium ramulis terminalibus in fasciculum densissimum inflexum coacervatis. Ad hanc flexuram turgiditatem quandam observare voluit Cel. Gmelin l. c. et inde suspicatur, eam asferre mucum fructificationis negotium perficientem. At inter perplura specimina hanc turgiditatem nunquam observare potui, sed Capsulae potius ad dichotomias solitariae sessiles fructificationi destinatae sunt.

Observ. II. *Fucus scorpioides* Flor. Dan. Tab. 887. huc non pertinet, veri enim Fuci species esse videtur.

CERAMIUM ROSEUM.

C. filamentis membranaceis geniculatis tenuissimis ramosissimis; ramulis densissimis flocculosis: geniculis annularibus tenuissimis pellucidis, articulis oblongis utrinque colcratis, capsulis lateralibus secundis subsessilibus obovatis.

Fasciculis roseis, densissimis, intertextis Fucus Confervisque adhaerebat e Bayonne missis.

RADIX subrotunda, exigua, scutata, filamenta nonnulla producens.

FILAMENTA membranacea, tenuia, a basi ramosissima, dichotoma, ad dichotomias parum dilatata, geniculata, unciam ad sesquiunciam longa, rosea, cum ramis et ramulis fasciculum fastigiatum densissimum, diffusum repraesentantia, in aqua debilia, flaccida, fluctuantia, ut aegre tantum explicentur et chartae vel vitro rite imponantur, tamen ratione teneritatis sat tenacia.

RAMI alterni, tenuous, ramosissimi: *inferiores* remotiores; *superiores* magis approximati, densiores.

RAMULI maxime approximati, densissimi, in aqua flocculosi, subpellucidi, tenuissimi et non nisi oculo armato rite distinguendi.

GENICULA annularia, tenuissima et oculo armato tantum discernenda, maxime pellucida.

ARTICULI oblongi, sub microscopio composito laetissimum adspectum praebent, versus basin scilicet incrassati, pulcherrime incrassati, bulbosum referentes, in medio crystallini, ad lucem pellucidi, secundum longitudinem striis obscuris notati et quasi plicati, apice parum iterum incrassati et colorati.

CAPSULAE exiguae, sub microscopio tantum composito observabiles, deciduae, in ramis et ramulis laterales, copiosae, plerumque secundae: *juniores* sessiles, exacte globosae, pellucidae, crystallinae; *maturiores* globosae, tamen in pedunculum brevissimum

vissimum parum attenuatae, hinc obovatae, primum roseae, demum atropurpureae, obscurae.

SICCATA ALGA chartae vel vitro arctissime adhaeret, colorem suum roseum, nisi diu in aqua macerata, retinet, tamen in ferrugineum tendit.

CONFERVA.

CONFERVA ERICETORUM.

C. filamentis dichotomis geniculatis tenuissimis: geniculis elevatis subnodosis, obscuris violaceis; articulis paulo longioribus pellucidis crystallinis.

In Ericetis turfosis Ducatus Oldenburgici inter *Westerbede* et *Fikensold* terram denudatam humidam violaceo densoque velamine obducit haec elegans Conferva.

FILAMENTA tenuissima et microscopio tantum rite distinguenda, ramosa, dichotoma, purpurascens, arte inter se inflexa terraeque adhaerentia, ut ab ea aegre tantum dissolvi queat.

RAMI alterni, remoti, filamentis crassitie aequales.

GENICULA sub microscopio composito annularia, elevata, obscura, violacea, approximata: in filamentis punctis pellucidis in medio circumscripta; in ramis et ramulis rota obscura et nodiformia.

ARTICULI geniculis paulo longiores et angustiores, cylindrici, tenui membrana conflati, crystallini et maxime pellucidi.

SICCATA vix habitum suum mutat et chartae vel vitro non adhaeret.

Observ. I. Ob articulos maxime pellucidos genicula obscura parum elevata ad lucem sub microscopio composito primo intuitu globosa apparent, quae tamen sub umbra considerata articulis parum tantum supereminet. Caveas itaque, ne nodosam putes hanc Confervam.

Observ. II. Quoad colorem et habitum proxime accedit ad *Confervam* meam *elegantem* Catalecta bot. pag. 199. Tab. V. fig. 4. Differt autem 1. *Loco* natali. 2. *Filamentis* tenuioribus, densissime inflexis. 3. *Structura* geniculorum.

CONFERVA FLAVESCENS.

C. filamentis dichotomis geniculatis pellucidis: ramis subsecundis: geniculis tenuissimis remotis siccitate contractis; articulis oblongis tubulosis.

FASCICULIS oblongis, digitalibus, palmaribus et longioribus, flavo-virentibus, densissimis, inferne inflexis et diffusis, superne fluctuantibus et caudam equinam non male repraesentantibus plantis aquaticis adhaeret et ob filamentorum teneritatem ab undarum motu circa eas voluta impuritatibusque conspurcata observatur haec Conferva in lacu dicto *Zwischeahnermeer* Ducatus Oldenburgici, aquam dulcem continente.

FILAMENTA tenuissima et non nisi microscopii ope rite observanda, dichotoma, ad lucem pellucida, intus maculis pulverulentis adspersa, crassitie aequalia, primo intuitu tubulosa et continua, tamen geniculata.

RAMI remotiusculi, alterni, plerumque secundi, angulo fere recto e filamentis egredientes illisque crassitie aequales, simplices aut iterum ramosi.

GENICULA tenuissima et sub microscopio composito in vivo statu vix rite distinguenda, ad ramorum exortum paulo evidentiora, remota, articulis crassitie aequalia, in sicco statu evidentissima, contracta.

ARTICULI oblongi, cylindrici, tubulosi, siccitate ob geniculorum constrictionem utrinque attenuati.

SICCATA magis flava et sericeo nitore splendida evadit chartaeque vel vitro arte adhaeret.

Observ. I. Haec Conferva quoad habitum et structuram, quantum recorder, convenire videtur cum figura *Confervae sericeae* Flor. Dan. Tab. 651. fig. 1. Huic autem figurae non respondere videtur differentia specifica *C. sericeae* ab Hudsonio desumpta, cum rami non sint fasciculati.

Observ. II. Figura Florae Danicae Tab. 945. quoad colorem et structuram partium internarum, remotis autem corporibus illis spiculosis, quae Polypi speciem puto, perbene respondet meae *Conf. flavescenti*. Ab hisce corporibus alienis et pluribus *Confervae* speciebus adhaerentibus in hoc opere splendido, falso dicta est haec Conferva *pennatula*.

CONFERVA PILOSA filamentis geniculatis, ramosis, dichotomis tenuibus, ramulis apice forcipatis: geniculis annularibus obscuris pilosis; articulis cylindricis pellucidis glabris.

C. ciliata filamentis geniculatis dichotomis apice forcipatis, articulis verticillatim ciliatis. Lightfoot Flor. Scot. Vol. 2. p. 998. n. 26.

Caespitulis densissimis, diffusis, subrotundis, griseis vel ferdide purpurascensibus, debilibus, in aqua fluctuantibus, tamen tenacibus, *Fucis* rupibusque calcareis insidet.

FILAMENTA ex una basi scutata ratione parvitatissimae plantae sat magna, plurima, minora majoribus immixta, uncialia, sesquiuncialia, raro biuncialia, geniculata, submembranacea, setacea, inarmato oculo distinguenda, ramosa, dichotoma.

RAMI alterni, remoti, angulo fere acuto egredientes, filamentis aequales. *Ramuli terminales* forcipati; incurvi, longitudine plerumque inaequales; *altero* duplo fere brevior.

GENICULA annularia, subcarnosa, obscura, purpurascens, parum elevata, pilis brevibus, exstantibus, albidis, pellucidis dense obfusa.

ARTICULI membranacei, albi, pellucidi, cylindrici, glabri, nitidi, in trunco et ramis majoribus geniculis duplo longiores, in ramulis illa longitudine aequantes.

SICCATA, nisi comprimatur, corrugatur, articuli collabuntur et plerumque alternatim compressi evadunt, pili geniculorum tunc evidentiores, plantae rugosam et hirsutam faciem induunt, ramuli terminales apice magis involuti sunt et chartae vel vitro non arcte adhaeret planta. In aqua citius reviviscit.

Observ. Lightfoot hanc Confervam *ciliatam* dixit, quam potius *pilosam* nominare duxi. Ciliae enim supponunt marginem, cui secundum longitudinem setae parallelae affixae sunt. Genucula vero annularia in hac planta tota pilis obfesa observantur.

CONFERVA DIAPHANA filamentis geniculatis ramosis, dichotomis, tenuibus, ramulis apice forcipatis: geniculis annularibus, obscuris, purpureis, glabris: articulis oblongis diaphanis.

C. diaphana filamentis geniculatis ramosissimis, ramis dichotomis, apice forcipatis, septis ruberrimis, articulis diaphanis. Lightfoot Flor. Scot. Vol. 2. p. 996. n. 24. Flora Dan. Tab. 951. optima!

Basi sua scutata exigua rupibus Fucisque majoribus affixa est haec elegantissima *Conferva*, fasciculos oblongos, densos, semidigitales, digitales et non raro longiores purpureos efformans.

FILAMENTA ex una basi plura, geniculata, crassitie setae equinae, nudo oculo distinguenda, debilia et in aqua fluctuantia, membranacea, dichotoma.

RAMI alterni, filamentis similes, angulo acuto egredientes: *inferiores* remotiores; *superiores* magis approximati, hinc *supremi* subfastigiati. *Ramuli terminales* forcipati, incurvi, longitudine plerumque aequales, semilineam circiter longi, apice attenuati.

GENICULA annularia, crassiuscula, obscura, saturate purpurea, sub microscopio composito ad lucem intus pulvere adspersa apparent, glabra: in trunco et ramis majoribus remotiora, in ramis minoribus et ramulis sensim magis approximata et interpositis articulis latitudine aequantia.

ARTICULI cylindrici, tenui membrana confati, crystallini, diaphani: in trunco et ramis majoribus oblongi, in ramis minoribus et ramulis breviores et genucula longitudine vix superantes.

SICCATA colorem paulo saturatiorem acquirit et chartae vel vitro laxius tantum adhaeret.

VARIAT pro loci natalis diversitate

1. *Colore* roseo, purpureo et atropurpureo.
2. *Articulis* coloratis, tamen subdiaphanis.
3. *Geniculis* parum elevatis, in trunco et ramis majoribus articulis latitudine aequalibus vel illos paullo superantibus.

Observ. I. Fructificationum granula in hac specie geniculis inhaerere apparent, quibus in plurimis huius generis speciebus articuli adspersi observantur.

Observ.

Observ. II. Ne confundatur cum *Conferva* mea *elegante* Catalecta botan. Fasc. I. pag. 199. Tab. 5. fig. 4. cui primo intuitu similis est: differt autem

1. *Fasciculis* oblongis, plerumque majoribus, libere plerumque in aqua fluctuantibus; nec filamentis inter alias marinas plantas reptantibus illisque adglutinatis.
2. *Ramis* rectis, copiosioribus, angulo acuto egredientibus; nec divaricatis et cum trunco angulum fere rectum efficientibus.
3. *Ramulis terminalibus* forcipatis; nec indivisis, simplicibus.
4. *Geniculis* quidem crassiusculis, tamen neququam nodosis, nec e duobus annulis crassioribus mediante carne connexis compositis.

RIVULARIA

Roth Catalecta botanica pag. 212.

RIVULARIA ENDIVIAEFOLIA.

R. fronde suborbiculata, planiuscula, lacunosa, palmato-multifida, crinita filamentis brevibus articulatis crystallinis: ramulis teretibus truncatis.

CAESPITULUM sub aqua repraesentat haec Alga subrotundum, densum, elevatum, semiuncialem, uncialem et paulo majorem, laete viridem, laevissimo aquae motu fluctuantem, maxime lubricum, ut cum difficultate haud exigua ex aqua educi et chartae vel vitro imponi queat.

FRONS plerumque solitaria, suborbiculata, sessilis, basi sua scutata exigua subrotunda fusca graminum culmis putrescentibus et sarmentorum ramulis aquae fundo inhaerentibus arcte affixa, planiuscula, pallide viridis vel albida, pellucida, lacunosa, palmato-multifida, semilineam fere crassa et semiunciam fere in majoribus specimenibus in diametro habens, sub microscopio composito considerata adspersa *filamentis* brevibus, tenuissimis, articulatis, crystallinis, subramosis, primo intuitu gelatinosa, at tactu duriuscula, solida, substantia uniformi absque integumento membranaceo constata, in qua sub microscopio composito ad lucem nidulantur *lineae* breves, curvatae, saturatiores *fructificationum* granula forsitan continentes.

RAMI breves, dichotomi, divaricati, subcompressi.

RAMULI breves, truncati, teretiusculi, saturate virides, subdivisi, cum ramis filamentis rarioribus minus observabilibus adspersi, ut fere glabri appareant.

SICCATA magis contracta evadit haec Alga ramis ramulisque duplo minoribus et angustioribus, quam in statu vivo, colorem saturatiorem acquirit et chartae vel vitro arcte adhaeret.

Observ. Media quasi est inter *Rivulariam Cornu Damae* Catalecta bot. p. 212. Tab. VI. fig. 2. et *Rivulariam confervoidem* Catalecta bot. p. 213. Tab. VI. fig. 3.

Priore minor est et filamentis geniculatis crinata, a *posteriore* autem, cui quoad filamentorum structuram et habitum proxime accedit, differt

1. **STATURA** paulo majore et robustiore.
2. **FRONDE** plerumque solitaria, sessili, pallidiore, multo latiore, planiuscula lacunosa, palmato-multifida: nec frondibus ex una basi pluribus, a basi plerumque ramosis.
3. **RAMIS** et imprimis **RAMULIS** teretiuseculis, crassioribus, saturatius coloratis, truncatis.

Ad margines lacus dicti *Zwischenahnermeer* Ducatus Oldenburgici, aqua dulci repleti copiose observavi cum amico dilectiss. Trentepohl initio Augusti.

RICCIA MAJOR.

R. frondibus obcordatis, obtusis, planis, scabris, enerviis.


R. major, Coriandri sapore, foliorum superficie veluti tessellata, fructu subrotundo aspero. Michel. Gen. pag. 106. Tab. 57. fig. 1.

R. latifolia fructu aspero. Hill. hist. pag. 124.

FRONDES quatuor ad sex e centro communi in orbem regulariter expansae, subtus *radiculis* albis tenuissimis terrae adfixae, semiunciales, in majoribus fere unciales, omnium congenerum latissimae, obscure virides, enerviae, per lentem tessellatae, scabrae, in minoribus simpliciter tantum, in majoribus repetito ad medium usque partitae: *laciniis* omnibus obcordatis, basi seu inferne angustissimis, superne emarginatura simul sumta, latissimis, fere semiuncialibus, lobatis; *lobis* obtusissimis, fere truncatis, sinuato-repandis.

FRUCTIFICATIONUM GLOBULI secundum frondium longitudinem serie vel simplici, vel duplici digesti, admodum elevati, convexi, sub lente ob tessellatas frondes in ficcis potissimum scabri.

In hortorum areolis umbrosis prope *Rastede* Ducatus Oldenburgici primo observavit amicus aestumatissimus Trentepohl, qui mecum descriptionem cum specimenibus communicavit.



ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv für die Botanik](#)

Jahr/Year: 1796-1798

Band/Volume: [1](#)

Autor(en)/Author(s): Roth Alberto Guilielmo

Artikel/Article: [Novae Plantarum Species 2037-2052](#)